

peribus? 3. Emendicare cogimur panem quotidianum. Qvi igitur possemus vitam æternam promereri? *D. Gerhard. Vide locum de Bonis Operibus & de Justificatione.*

3. *An beati externâ voce sint Deum glorificaturi?*

Resp. 1. Christus cum Mose & Elia in transfiguratione miscuit sermones, *Matth. 17. v. 7.* 2. Paulus in Paradisum raptus audivit ἀρρητὰ ῥήματα, *2. Cor. 12, 4.* 3. Passim in Apocalypsi tales glorificationes externa voce editæ commemorantur. *D. Brochm.*

4. *Quâ linguâ sint Deum glorificaturi?*

Resp. 1. Pugnanc alii pro lingua Hebræa. Nos potius hæc futuræ experientiæ reservamus. 2. Interim non absurdè dicitur, Deum electis infusurum notitiam lingvæ cujusdam excellentissimæ, in hoc mundo non usitatæ. (1.) Nam Paulus dicit, omnes lingvas cesaturas, scil. in hoc mundo usitatas, *1. Cor. 13.* (2.) Paulus in Paradiso audit ἀρρητὰ ῥήματα, *2. Cor. 12.* (3.) Sophonias cap. 3. ait: *Futurum in cælo labium electum*, hoc est, linguam singularem. *D. Brochm.*

5. *An beati agnatos suos inter damnatos sicut agniture?*

Resp. Aff. Exemplo Abrahami, divitem epulonem salutantis, sed ex illa agnitione non orietur ulla commiseratio, tum quia plenè impletur in altera vita petitio illa. Orationis Dominicæ: *Fiat voluntas tua*; tum quia electi lætaturi sunt in justis Dei judiciis, & illa pleno assensu approbaturi, *Apoc. 15, 3. cap. 16, 7. cap. 19, 2.* *D. Brochm.*

6. *An Beatorum corpora sint vestibus induenda?*

Resp. 1. Adam non indiguit eis ante lapsum. 2. In futura vita non erit ætris intemperies, nec ulla prava concupiscentia. 3. Corpora per se formosa non indigebunt adscititio decoro. *D. Gerhard*

7. *An D. Lutherus Mahometifaverit?*

Resp. Affirmat Pontificiorum cohors, adductis locis ex *Colloq. Mens.* Sed Beatus vir imitatur scripturæ stylum, & res futuri seculi delineat verbis hujus seculi. *D. Gerhard.*

8. *An D. Lutherus Jovinianisarit?*

Resp. Affirm. Papicolæ, quia omnia præmia æqualia statuerit. Sed dist. inter præmia *essentialia & accidentalia.* De illis, non *his* loquuntur dicta ex D. Luthero citata. *D. Gerhard.*

Brevis